

lex: Ita ut si contigerit nova monasteria, aut domum alicujus Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus monasteria, aut domus prius erecta, aut instituta sint, ille ordo qui prius monasterium, seu domum in loco habuerit, precedat. Quae Constitutio Gregorii est in usu, ac praxi, & sua viridi observantia, ut probant ex multis declarationibus Cardin. Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 1. c. 43, n. 182. & 183. Novar. verb. Præcedentia, num. 13. & quod magis est Urbanus VII. litteris datis in forma Brevis die 18. Decembris anno 1637. apud Peirinum in additam. ad Constit. 17. approbat determinationes sacre Congregationis juxta Constitutionem Gregorii XIII. & esse in sua viridi observantia docent communiter præter Barbosam, & Novarinum citatum Tamburin. de jure Abbatum, tom. 1. disp. 15. q. 8. Lezana verb. Præcedent. tom. 4. n. 6. Pellizar. tom. 2. tract. 8. cap. 6. n. 207. ceteri Capucin. Naldus.

Barbosa. Novar. Peirin. Tambur. Lezana. Pellizar. Capuc.

40. Clem. VIII.

Et solum Clemens VIII. prædictam Constitutionem derogavit quoad Fratres Dominicanos, ut quamvis ipsi post alios edificaverint in aliquo loco habeant tamen ipsi præcedentiam. Ita ait Clemens in sua citata Constitutione. *Itant dicti Fratres sancti Dominici immediate post dictos (scilicet Monachos) subsequantur, post quos omnes alios Regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes, cujuscumque Ordinis, vel Religionis existant, incedent, & subsequantur, etiam si Ecclesia, Capella, Conventus, Domus, & loca Regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis, primo instituta, & fundata non fuerint, prout nos de facto id observare volumus, & precipimus.*

41.

In reliquis Constitutione Gregorii est integra in tota sua observantia, itant cum Fratres S. Francisci de observantia, antiquiores sint, quam Fratres Tertiarii, tamen si isti in loco Monasterium, seu Conventum obtinuerunt erga illos cessat præcedentia Fratrum de observantia; ita multoties resolutum esse à sacra Congregatione tenet Novar. Lucerna Regul. verb. Præcedentia num. 13.

Novar.

42. Greg. XIII.

Juxta hanc constitutionem Gregorii maxime notandum, quod illa agit de mendicantibus, quia ut jam supra dictum est, mendicantes juxta multas declarationes Apostolicas habent præcedentiam supra Religiones non mendicantes. Inde Gregorius Papa ad tollendam omnem controversiam declarat, ac determinat, qualiter Mendicantes se debeant habere inter se;

43.

Nota etiam, quod ad omnem controversiam amovendam, Sacra Congregatio Episcoporum, ac Regularium decrevit, ac determinavit die 26. Augusti 1593, quod præcedentia tam in processionibus, quam in cæteris actibus publicis teneretur, ac heberetur, ut observatur in Alma Urbe Romana, omnium Magistræ, quam declarationem supra scriptam Congregationis Dominus Cardinalis Alexandrinus retulit sanctissimo Dom. Clementi VIII. die 30. Augusti 1593. quæ ei maxime placuit, & approbavit ordinem, præcedentia, quem in processione habent sacre Religiones, scribit, & refert ex testimonio authentico, M. Lezana tom. 4. Regular. verb. Præcedentia, num. 6. post. medium.

M. Lezana.

Lezana, verbo præcedentia num. 7. ait 44. Mendicantes autem præcedentiam habere super Lezana. non Mendicantes constat ex usu, & consuetudine Ecclesie, pluribusque sedis Apostolicæ quoad hoc declarationibus. Jacobus Pignatellus Pignar. à Sanct. Thoma, utriusque juris doctor, in Canonis consultationibus, consultat. 137. numer. 1. ait præcedentiam sumendam esse ex antiquitate. Ita declaratum fuit à Gregorio XIII. in lite orta super præcedentiam in Castro Villarii inter Prædicatores, & Franciscanos, jussit attendendam esse antiquitatem loci, & ita etiam respondit Sacra Congregatio scilicet PP. Prædicatores habere, præcedentiam in locis, ubi habent usum, & sunt, quasi in possessione, alias minime; ita etiam 8. Junii 1618. & 23. Septembris 1624. & 6. die ejusdem mensis 1625.



RESOLUTIO XLVIII.

De Sepulturis.

QUESTIO PRIMA.

An qui inveniuntur mortui in Campo veluti duelli, valeant excusari, ut admittantur ad sepulturam Ecclesiasticam?

SUMMARIUM.

- 1 Casus præsens hujus questionis.
2 In dubio quilibet præsumitur bonus.
3 Mortuus non condemnandus nisi ex evidenti & plena probatione.
4 Poena duelli non confurgit nisi ex pacto eorum dicto, ac composito.
5 Isti duo poterant convenire ad illum Campum, ut mutuo inter se convenirent, ac pactum inveniuntur amicitia.
6 Isti poterant convenire ad illum locum, & postea furore ira accensurati sunt.
7 Poterant inter se rixare ad ostendam dexteritatem suam, ac suam fortitudinem.
8 Ut priventur Ecclesiastica sepultura requiritur sententia judicis.

Casus contigit, duo viri nobiles, qui habebant inter se magnas rixas, & controversias in quodam campo semoto ab urbe, strictis gladiis, inventi sunt mortui. Quæsitum fuit à me an essent sepeliendi in loco sacro, pro illisque Missæ sacrificium offerendum.

Respondeo affirmativè. Primò ex communi proloquio in dubio quilibet præsumitur bonus, l. Merito ff. pro socio, l. quoties, §. qui dolo, ff. de probat. cap. unico de scrutin. in ordine faciendi, cap. dudum, & cap. de præsumpt. Ibi Doctores communiter, unde dubium semper in meliorem partem est exponendum, per quam delictum evitetur Bartol. §. sed ut probari, ff. de oper. non. Nunc per Baldum in l. precibus columna secunda vers. Baldus. Scias

L. Merito

Scias cod. de impuber. & multis aliis apud Mascardum de probat. volum. 3. concl. 1174.

Et hoc maxime procedit quoad mortuos, qui sunt persone miserabiles, & inter personas miserabiles miserabiles; quia non possunt pro se loqui, nec se defendere, & idèd sunt sub Ecclesiæ protectione, cap. Super quibusdam in fin. de verbor. significat. Et ideo judex ex suo officio tenetur defendere, & ad eorum condemnationem non sufficit quilibet suspicio, sed requiritur plena, & exacta probatio; nam quamvis Ecclesiæ valeat procedere contra memoriam heretici defuncti, tamen ad hoc exigitur valde plena, & clara probatio, quod longa serie probat Farinacius de hæreticis q. 197. num. 103. & probat Catena de officio sancti. Inquisitionis. part. 2. tit. 19. §. 5. c. 9. ex ipso Farinacio, Symanch. & aliis.

Farinac. Catena.

Symanch.

Greg. XIII. Clem. VIII.

Flamin.

Florus. Fillucius. Naldus. Barbosa.

Diana.

Cherubin. Lucens. Farinac. Tuschus. Barbosa. Lezana. Diana. Franciscus. Riccius.

7.

Isti duo viri, cum inventi sunt mortui in illo campo, non constat quòd tenderunt ad illum animo, & pacto ad faciendum duellum, quod requiritur ad contrahendas pœnas impositas duello, ut priventur sepultura Ecclesiastica; & consequenter ceteris suffragiis Ecclesiæ; nam duellum juxta Constitutionem Gregorii XII. & Clementis VIII. constituit in pugna orta ex condito, & composito, scilicet pacto, quod in præsentem non probatur, ideo homines de tali crimine non sunt habendi tanquam rei; nam delictum in dubio non præsumitur, sed potius tunc supponitur abesse delictum, ut patet ex locis juris citatis, & l. Prator, §. docere, ff. de vi honor. rapt. cap. Estote de reg. juris Decretal. & ibi communiter Doctores Flamin. Paris. de respo. benefic. lib. 13. quest. 1. n. 72. & lib. 14. quest. 7. n. 55. & alii.

Secundò, isti duo rixantes fieri poterat, ut ad illum locum convenirent animo non rixandi, ac debellandi, sed petendi, & dandi mutuum satisfactionem, ac ut quilibet suam causam tueretur, ceteri postea rixati sunt, non incidunt in pœnas duelli, quia eo animo ad illum locum non convenerunt, ut tenent Lucius Florus tract. de duello, cap. 6. §. 2. Fillucius tract. 15. cap. 5. q. 5. num. 107. Naldus in summa verb. Duellum, n. 2. Barbosa in collectanea Doctor ad Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. reform. §. nonò queritur. Diana part. 3. tract. 6. Resolut. 1. §. mater. & alios citat.

Tertiò, & magis confirmatur superior ratio; Quia qui calore iracundiæ accensi, ac commoti, incontinenti ad locum duelli accedunt, ibique dimicant, à pœnis duelli excusantur Ita Flavius Cherubin. in Bulla Pontificæ. 10. 3. Pontificæ. 11. Clementina 8. in schol. & ibi citat Ludovic. Lucensem, Farinac. & Tuschum; Barbosa citatus in collectanea num. 10. Diana citato loco, §. Dico undecimò. Et insuper citat Joannem Franciscum Riccium, & Grassia, M. Lezana in Consult. consult. 49. n. 11. Quod fortius militat in præsentem casu, quia non constat, quòd animo dimicandi convenerint ad illum locum, forè alio animo ad locum convenerunt, deinde ex alia occasione furore accensi rixati sunt.

Quartò, qui provocat ad duellum alterum, non animo pugnandi, sed ut se ostendat fortis, & amolus, & maxime dexter in exercitio armorum cum bona securitate facta nul-

lum inferendi nocumentum, non incidit in pœnas duelli, ut docent Naldus citatus, n. 2. Fillucius, Diana, quos citat, ac sequitur M. Naldus. Lezana tom. 3. verb. Duellum, n. 17. de quo latè Trullenchi. in Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 2. Lezana. dnb. 13. n. 22. Et unde constat, quòd isti duo Trullenchi non tali animo accederent, & postea casu, ac præter intentionem se occiderent.

8. Martini V.

Bannius. Palaus.

Diana.

Deinde maxime notandum juxta Extravag. Martini V. Ad evitanda, nullus in foro exteriori excepto notorio percussore Clerici reputandus, ut excommunicatus, ac privatus ab officiis Divinis sive sententia judicis, & idèd ut docent Stephanus Bannius in Theologia Morali, disp. 3. tract. 2. quest. 19. Castro Palaus tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 7. Diana part. 7. tract. 11. Resol. 44. quòd ut duellans occisus careat Ecclesiastica sepultura necessaria est declaratio criminis à iudice facta, saltem quando delictum non est multum notorium. Deinde illud, quod colligitur ex illa citata Extravagante, ad evitanda, est tantum de peccatore notorio, quia tergiversatione excusari potest, hic autem in præsentem sunt multæ rationes, quæ delictum excusare possunt; ut patet ex dictis; ergo nihil obstat, ob quod Ecclesiastica sepultura sint privandi.

QUESTIO II.

An qui moritur ex vulnere accepto in duello sit privandus Ecclesiastica sepultura, sicut et illi, qui inveniuntur mortui in actu de se peccaminoso, & inde multi casus resolvuntur?

SUMMARIUM.

- 9 Notorii peccatores privantur sepultura Ecclesiastica.
10 Dicunt multi, quod ille qui moritur sequenti die ex vulnere accepto in duello, sit privandus sepultura Ecclesiastica.
11 Opposita sententia a nobis vera, & certa.
12 Nec contra hoc faciunt Tridentinum, & Clementi VIII. loquuntur enim de illa, qui moritur in ipso conflictu.
13 Adulteri deprehensi in adulterio interfecisti à marito sepeliendi in loco sacro, sicut qui moritur in cornibus Taurorum, & meretricia mortua in domo amantis sui.
14 In his melior pars eligenda, & semper præsumitur in extremis, quod homo agit de sua salute aeterna.
15 Idem dicendum, quando homo clausus invenitur laqueo suspensus vel in puteum demersus.

Peccatores mortaliter notorios privandos esse sacra sepultura, habetur ex Can. quibus, & sequentibus 1. quest. 2. & docet Glossa in cap. Quia de usuris, Abbas in cap. ex part. 1. in fine de sepulturis, & cap. Fures de furtis, Paludanus in 4. dist. 18. quest. 18. art. 1. §. quantum ad 4. concl. 5. Sylvester. verb. Sepultura, quest. 9. dist. 7. Sà in summa, num. 3. Layman lib. 3.

9. Glossa.

Paludanus. Sylvest.

Sà Layman lib. 3.

Bonacina. Marchant.

10.

Qui dicunt decertantem in duello privandum esse Ecclesiastica sepultura, etiam ob vulnus acceptum non statim ipso die moriatur, sed sequenti die; nam ille dicitur mori in duello, qui ex vulnere accepto in ipso duello moritur. Deinde quia privatio sepulturae imposita est in detestationem criminis, ut alii videntes duellum tam dure puniri, terreatur, & caveant a committendo tam dire crimine, & inde privatio sepulturae non inducitur per modum censurae, sed iuxta poenam.

11. Plaza. Joan. Sanc. Menoch. Hurtado. Navar. Rodrig. Villalob. Lezana.

12.

Nec contra nos facit Concilium Trident. sess. 22. c. 19. de reformat. & Clemens VIII. in sua Constit. imponentes declinantibus in poenam privationem perpetuam sepulturae Ecclesiasticae, si decesserunt in ipso conflictu, ut patet ex verbis Clementis VIII. Et si in ipso conflictu obierint sepultura Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus: proindeque si aliquo post tempore ex vulnere accepto in duello obierint, jam non sunt privandi sepultura Ecclesiastica, quia Concilium, & Pontifex loquuntur de illis, qui in ipso conflictu, & non post ipsum occubuerint, & cum lex sit poenalis, non est extendenda ultra casum expressum, sed potius restringenda, ut docent Portel. com. 2. in responsionibus Moralibus, part. 3. casu 10. num. 4. M. Lezana tom. 2. verb. Duellum. n. 14. Diana tom. 2. tract. 16. Resolut. 5. 2. alias 34. & est commune placitum apud iuristas.

13.

Ex ratione nostrae conclusionis, quia unusquisque in extremis praesumitur maxime agere de sua salute aeterna. Adulteri deprehensi in adulterio, & a marito interfecti sepeliuntur in loco sacro, ut docent etiam Graffius tom. 1. consil. lib. 3. de sepultura consil. unic. num. 6. & Sancius supra. Qui idem dicit de rixantibus, & murro se occidentibus, licet in conflictu mortui occumberent, nullo poenitentiae signo exhibito, & de illis, qui in cornibus taurorum vitam perdunt, ut tenet Villalobos 20. 2. summa, tract. 31. difficult. 3. & propter hanc causam Navar. lib. 3. consil. de sepultura, consil. 4. & Portellus proxime citatur, num. 5. docent, quod meretrix, dum in domo sui amasi inventa est vulnerata & vulneribus confusa, & mortua possit in loco sacro sepeliri.

14.

Et generaliter loquendo Azyd. Coninch disp. 14. de excommunicatione, dub. 8. conclus. 5. n. 66. ait sepelendum in loco sacro excommunicatum, quoties dabitur, utrum talis poenitens discesserit, & inquit, quia melior

pars praesumenda est; quae ratio maxime facit ad intentum, & ut amplius docet Hurtadus de Mendoga 2. 2. disp. 76 sect. 1. §. 2. Quod tales sepeliendi sunt in loco sacro, quia licet exterius nullum dedissent poenitentiae signum, potuerunt tamen interius, quia praesumitur, quod homo in extremis, totis viribus agit de sua salute aeterna, & quia non constat, quod non egerint poenitentiam internam, ideo ex Ecclesiae consuetudine pro eis sunt orationes, & sacrificia, quia ex hypothese, pro eis offeruntur, qui sunt in statu in quo illis profuit.

Et magis confirmatur praedicta doctrina, quia si inveniatur homo clauso suo ostio a parte interiori laqueo suspensus, vel in puteo demersus, ac suffocatus, sepulturae sacrae donandus est, quia causa est criminalis, & in causa criminali non est procedendum contra ream, nisi probationibus luce clarioribus, & sciant cuncti, ff. de probationibus, cap. sciant cuncti. 11. quast. ultima, & maxime contra mortuum, qui pro se non potest agere, nec dicere, & cum homo laqueo suspensus, vel in puteo demersus agat contra propriam inclinationem naturalem de Conservatione vitae, & ideo potius praesumendum est, illud factum fuisse ex quadam amentia, seu mentis alienatione, quam ex desperatione, & ideo sepultura non est privanda. Ita ad praedictum casum respondent, Navar. Consil. 7. de sepulturae lib. 3. Rodriguey tom. 1. quast. Regula 9. 6. 1. Rodrig. art. 1. Villalobos tom. 2. tract. 31. difficult. 3. n. 47. Barbosa de officio Parochi cap. 26. n. 29. Diana pari 5. tract. 3. Resol. 100. & pro hac sententia citat etiam Marchantium, & Genevensen, & Iulium Laviorium.

QUESTIO III.

An sepultura unius, possit alteri donari, seu vendi.

SUMMARIUM.

- 16 Sepultura absque ulla Simonia datur pro pretio, seu elemosyna.
17 Si patronus emit sepulturam, seu Capellam pro se, ac suis heredibus non potest alius ibi sepeliri sine eius licentia.
18 Et si secus factum fuerit, exhumandum cadaver alienum.
19 Si extinguatur progenies, jus sepulchri transit ad Ecclesiam.
20 Tamen in tali casu priores inscriptiones non sunt delendae.
21 Haeredes sunt, qui nascuntur ex filiis, non extranei.
22 Si sepultura suis data absolute, possunt alii sepeliri.
23 Si perpetua duabus conditionibus.

EX communi usu, ac consuetudine populi Christiani patet, quod vendere, & emere sepulturam absque Simoniae labe fiat: Quia non venditur, proat quid sacrum est sed pro ut quid materiale est, seu quatenus terra; sic & vendi potest calix consecratus, & vestis sacra ratione materiae, auri, & argenti, ut ex multis

Hurtadus

15.

L. Sciante.

Navar. Villalobos. Barbosa. Diana.

16.

Suar. Bonacina.

Rodrig. Barbof. Villalob. Portel. Lezana. Sanchez. Diana.

17.

Urbald. Bordon.

L. si habitatio.

18.

C. Fratrum. C. Ex parte.

Lavor. Bordon.

19.

Armilla. Sylvest. Rodrig.

20.

Bordon. Pellizar. Urbald. Portel.

21. Peirina. Lambert.

multis probant Suar. tom. 2. de Relig. cap. 14. num. 6. & 17. & Bonac. de simonia, q. 4. §. 6. n. 1. Deinde illud pretium non recipitur in pretium sepulturae, sed ad fabricam Ecclesiae, ac sustentationem Ministrorum Ecclesiae, ut ex Rodrig. Barbofa, Villalobos, Portel. tenet M. Lezana tom. 4. verb. sepultura, n. 14. & ut bene notant Sanchez tom. 1. consil. lib. 2. cap. 3. dub. 14. n. 3. Diana cum aliis part. 2. tract. 15. Resolut. 57. Pro honorati loco sepulturae, majus pretium posse accipi. Et ratio est, quia venditur ibi quid temporale, scilicet honor, qui pendet ex hominum estimatione, & potest accidens rei spirituali conjugitur.

Ad quaestionem cum distinctione est respondendum; si patronus, seu Dominus emit sepulchrum, vel capellam pro se, ac sua familia, seu descendentibus, non potest ibi sepeliri aliquis sine licentia ipsius patroni. Ita Petrus Urbald. de Canon. paroch. part. 12. n. 5. & alii, quos citat, ac sequitur Bordon. tom. 2. Resol. 5. n. 80. quod talis patroni licentia requiritur, probatur ex eo, quod sicut in fundo, in quo quis habet usum, Dominus in illo habitare non potest contra voluntatem usufructuarii l. si habitatio, §. si de usu, & habu. Sic nec Ecclesia, quae est Domina directa sepulchrorum, & capellarum, potest habitare per se, vel per alium in sepulchris aliis concessis.

Unde si absque licentia patroni extraneus sepeliatur in eius sepulchro, potest ille cadaver extrahere quod restituendum in proprio sepulchro idque patet ex cap. fraternitatem, & cap. ex parte cap. eum liberum de sepultura & cap. eodem in 6. ubi mandatur exterrari corpora, & restitui propriis, ergo etiam & in hoc casu, in quo recondita cadavera non dicuntur requiescere in propriis sepulchris, sed alienis, hoc idem erit licitum; ex quo sequitur quod inferens mortuum in alienum sepulchrum tenetur poena violati sepulchri, ut ex Lavor. tenet Bordon. n. 11.

At vero si extincta est progenies illius, cui fuerat concessum jus sepulchri, tale jus potest concedi aliis, cum tale jus redeat ad Ecclesiam, quia mortuo habente usum, usus redit ad proprietarium, sic morte usufructuarii, ususque descendendum, usufructus devolvitur ad proprietarium l. usufructum C. de usufructu, ut docent Armilla Sylvest. verb. sepultura. Rodriguey in addit. ad summam tom. 4. c. 131. n. 2.

Notant tamen Bordonius citato tom. 2. Resolut. 51. n. 72. & Pellizar. tom. 2. c. 5. sect. 4. n. 151. cum Urbald. Portello, & aliis. In proposito casu, quod sepultura unius detur alteri, tamen non debere deleri inscriptiones sepulchri, pro memoria insculptas, l. 6. §. monumentum §. de relig. & sumpt. funer. quod confirmo ex eo, quia defunctus dedit pretium pro sepultura tam ut ibi reponeretur, ac recondideretur ejus cadaver, quam ut etiam ibi ejus memoria permaneret.

Advertit etiam Peyrinus tom. 3. Privileg. c. 4. n. 48. ex Lamberto in sepulchris solum sepeliendos esse haeredes sanguinis, eos nempe, qui nascuntur ex filiis & nepotibus, tam masculis, quam feminis, non vero haeredem extraneum, quamvis universalem, jus enim sepulturae non transit ad extraneos.

Hic maxime norandum, quod vel Ecclesia dedit alicui locum sepulchri, simpliciter, & absolute, vel apposita conditione, ut sepultura ei esset perpetua. In primo casu possunt alij sepeliri in tali loco, quia ita habet Praxis universalis Ecclesiae, & quia ut ait Portel. tom. 1. Resp. mortali, part. 2. casu 20. n. 1. in medio quia si per nudam donationem sepultura factam alicui, prohiberetur conventus ne illa sepultura alteri alterius donari posset intra parvum tempus non maneret in illa Ecclesia locus, ubi possent alij fideles sepeliri, si ibi sepulturam elegerent.

At vero si sepultura donata fuit, ut ei esset perpetua tunc deficientibus haeredibus, possit alteri donari, ut modo dixi in hac quaestione, servatis tamen duabus conditionibus. Prima, ut ibi maneat inscriptiones pro memoria talis defuncti. Secunda ut ossa prioris defuncti non poterunt exhumari, vel alio transferri, inde enim magnum scandalum fieri videtur, magisque injuria pro defuncto, sine ejus culpa exhumate; nam defunctus cum viveret, fecit pactum cum Ecclesia pro illa sepultura perpetua, hac de causa dedit majorem elemosynam, & inde sepulturam cum lapide exposito ac aliis exornavit, ut ejus memoria ibi perpetuo remaneret; ergo nulla est causa cur pactum initum non sit observandum, & ideo illius ossa non sunt exhumanda, nec inscriptiones delendae. In hac Resolutione conveniunt Portel. & Bordonius citati ex Rodriguey tom. 2. Addition ad summam verb.

RESOLUTIO. XLIX.

De suspensione, ac ejus absoluteione.

QUESTIO PRIMA.

An qui absolutus, vel dispensatus est ab Episcopo, cum crimen esset occultum, & postea crimen factum est publicum, & manifestum, indigeat nova absoluteione, vel dispensatione?

SUMMARIUM.

- 1 Casus quaestionis.
2 Prima sententia affirmans novam absoluteionem necessariam.
3 Primum fundam. ex Trident. facultate data, est solum ad forum interius.
4 Dispensatus in foro conscientiae potest accusari, & puniri.
5 Dispensatus in articulo mortis tenetur comparere coram superiore; & in dubio tutior pars est eligenda, & n. 6.
6 Contraria sententia vera.
7 Quia facultas absoluteionis concessa est pro utroque foro.
8 Quando facultas restringitur ad forum interius ponitur pro foro conscientiae.
9 Facultas dispensandi late explicanda. Praedicta facultas non est delegata, sed ordinaria, ibid.

22.

Portel.

23.

Portel. Bordon. Rodrig.